

dine et vetustate præcipuas esse veluti duces, mira ad cauendum solertia: has vrinantium cura peti, illis captis, facile cæteras palantes retibus includi. Multo de inde obrutas sale in vasis fictilibus, erosa carne omni, nucleos quosdam corporum, hoc est, vniones decidere in ima. Vsu atteri non dubium est, coloremque indiligentia mutari. Dos omnis in candore, magnitudine, orbe, læuore, pondere, baud promptis rebus, in tantum vt nulli duo reperiantur indisereti: vnde nomen vnionum Romanæ scilicet imponere delicia. Nā id apud Græcos non est, ne apud Barbaros quidem inuentores eius aliud quàm margaritæ. Et in cādore ipso magna differentia. Clarius in rubro mari reperitus. Indicus specularium lapidum squamas assimulat, alias magnitudine præcellens. Summa laus coloris est exaluminatos vocari. Et procerioribus sua gratia est. elenchos appellant fastigiata longitudine, alabastrorum figura in plenior orbem desinentes. Hos digitis suspendere, & binos ac ternos auribus, fæminarum gloria est. Subeunt luxuriæ eius nomina et tædia exquisita perditione portatu: siquidem cū id fecere, crotalia appellant, ceu sono quoq; gaudeant, & collisu ipso margaritarum. Affectatq; iam & pauperes, licetorem fæminæ in publico vnionem esse dictitantes. Quin & pedibus, nec crepidarum tantum obstragulis, sed totis soculis addunt. Neq; enim gestare iam margaritas, nisi calcent, ac per vniones etiam ambulēt, satis est. In nōstro mari reperiri solebāt, crebrius circa Bosphorum Thracium, ruffi ac parui in conchis, quas myas appellant: At in Arcarnania, quæ vocatur pinna, gignit. Quo apparet non vno conchæ genere nasci. Namq; & Inba tradit Arabicis concham esse similem pectini insecto, hirsutam echinorum modo, ipsum vnionem in carne, grandini similem. Conchæ non tales ad nos afferuntur. Nec in Arcarnania autem laudati reperiuntur, enormes fere, colorisq; marmorei. Meliores circa Actium, sed & hi prauis: & in Mauritania maritima. Alexander Polyhistor & Sudines senescere eos putant, coloremque expirare. Eorum corpus solidum esse manifestum est, quod nullo lapsu franguntur. Nō autē semper in media carne reperiuntur, sed alijs atq; alijs locis. Vidimusq; iam extremis etiam marginibus velut è concha exeuntes: & in quibusdam quaternos quinosq;. Pondus ad hoc xvi semuncia pauci singulis scrupulis excessere. In Britannia paruos atque decolores nasci certum est: quoniam diuus Iulius thoracem, quem veneri generici in templo eius dicauit, ex Britannicis margaritis factum voluerit intelligi. Lolliam Paulinam, quæ fuit Caii principis matrona, ne serio quidem ac solēni ceremoniarum aliquo apparatu, sed mediocrium etiam sponsalium cæna, vidi smaragdis margaritisq; opertam, alterno textu fulgētibus, toto capite, crinibus, spiris, auribus, collo, manibus digitisq;, quæ summa quadringētis H-S colligebat: ipsam confestim paratam nuncupationem tabulis probare. Nec dona prodigi principis fuerant, sed auitæ opes,

prouinciariū scilicet spolijs partæ. Hic est rapinarum exitus: hoc fuit quare M. Lollius infamatus regū muneribus in toto oriente, interdicitæ amicitia à Caio Cæsare Augusti filio venenū biberet, vt neptis eius cccc. H-S operta spectaretur ad lucernas. Computet nunc aliquis ex altera parte, quantum Curius aut Fabricius in triumphis tulerint: imagnetur illorum fercula, & ex altera parte Lolliam, vnā imperij mulierculam accubantem: non illos curru detractos, quàm in hoc vicisse malit? Nec hæc summa luxuriæ exempla sunt: Duo fuere maximi vniones per omne æuum, vtrunque possedit Cleopatra, Aegypti reginarum nouissima, per manus orientis regum sibi traditos. Hæc cum exquisitis quotidie Antonius saginaretur epulis, supbo simul ac procaci fastu, vt regina meretrix lautitiam eius omnem apparatusq; obtrectans, quarēte eo quid astrui magnificentia possit, respondit, vna se cæna centies H-S absumpturā. Cupiebat discere Antonius, sed fieri posse non arbitratur. Ergo sponsonibus factis, postero die quo iudicium agebatur, magnificam alias cænā, ne dies periret, sed quotidianam Antonio apposuit, irridenti, computationemq; exposulanti. At illa corollarium, id esse, consumpturamq; se, ea in cæna taxationem confirmans, solamq; se centies H-S cænaturam, inferri mensam secundam iussit. Ex præcepto ministri vnū tantum vas ante eam posuere aceti, cuius asperitas visq; in tabem margaritas resoluit. Gerebat auribus cū maxime singulare illud, & vere vnicum naturæ opus. Itaque expectante Antonio quidnam esset actura, detractum alterum misit, ac liquefactū absorbit. Iniecit alteri manum L. Plancus iudex sponsonis eius, eum quoq; paranti simili modo absumere, victumque Antonium pronunciauit homine irato. Comitetur fama vnionis eius parrem, capta illa tantæ quæstionis victrice regina dissectum, ut esset in utrisq; Veneris auribus Romæ in pantheo dimidia eorum cæna. Non ferent tamen hanc palmam, spoliabunturq; etiam luxuriæ gloria. Prior id fecerat Romæ in vnionibus magnæ taxationis Clodius tragædi Aesopi filius, relictus ab eo in amplis opibus hæres, ne in triumphu suo nimis superbiat Antonius, pene histrioni comparatus, & quidem nulla sponstone ad hoc producto, quo id magis regium erat, sed vt experiretur in gloria palati, quid saperet margaritæ: atq; vt mire placere, ne solus hoc sciret, singulos vniones conuiuis absorbendos dedit. Romæ in promiscuum ac frequentem vsum venisse, Alexandria in ditionem redacta: primum autem capisse circa Syllana tempora minutas & viles Fenestella tradit manifesto errore, cum Aelius Stilo Iugurthino bello vnionum nomen impositum maxime grandibus margaritis prodat. Et hoc tamen aternæ prope possessionis est. Sequitur hæredem, in mancipatum venit vt prædium aliquod. Conchyliis & purpuras omnis ora atterit, quibus eadem mater luxuria paria pene etiā margaritis prætia fecit.

De natura